Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

lo audita est dicens. Viriliter agite et conf. c. u. in domino. Hec audiens sanctus iulianus dixit.
Vox que intonuit auribus pronuntiat uobis futuram passionem, et diuersa genera tor-
mentorum que aduersus nos cogitat inimicus. Pro qua re fidei nostre cursum domino
commendemus. qui potens est fidem nostram seruare, ut cursu consummato. repositam coronam
iusticie recipiamus. Cumque hoc factum cognouisset impius marcianus, uxorem suam
martyribus sociatam, iubet illos intra domum exhiberi. et dixit ad celsum. Matrem
tuam sub hac ratione postulasti, ut tibi consentiret. Quid gestum sit agnoscere
cupio. Puer respondit. Gratias ago domino qui uoluntatis mee fructum ita compleuit, ut in
eternum possideam matrem. et illa me filium amodo cognoscat. Nos pro amore
xpisti in hac uita spem non ponimus, pro qua re nec ego te agnosco patrem. nec illa mari-
tum. Tunc preses ira repletus, iussit comprehendi mulierem. Ad quam cum adpropiassent
ministri, facti sunt ceci. Audiens hec marcianus. iussit eos in una carceris recludi.
Alia uero die sedens pro tribunali. iussit xx. milites adduci. tradiditque eos decollan-
dos. vii. uero fratres igni tradi precepit. Quod cum factum fuisset. martyrium consummauerunt
in pace. cum gaudio et exultatione pergentes ad xpistum. cui est gloria in secula seculorum amen.
Sanctum uero iulianum cum antonio presbitero et matrem cum filio, et puerum quem inferni
reddiderat. suo iudicio reseruauit. Et sedens pro tribunali in foro, iussit eos adduci.
Et conuersus preses ad iulianum dixit. Tecum iuliane sermonem penitus non habeo. Et iterum
dixit ad antonium. Tu es antonius quem isti papam suum esse testantur. Constat te huius
magice artis esse auctorem. Antonius dixit. Gratias ago domino meo ihesu xpisto, qui huius gre-
gis sue me fecit esse ministrum. Preses dixit. Vel tu mihi dic que sit magica uestra. ut sic coniuga
separetis. et filios a parentibus disiungatis, bonam ipsam uitam abnegare et hor-
rere persuadatis, dii inmortales per uos blasphementur. Que est audacia uestra, qui tantum
preualuistis ad decipiendum populum, ut et gloriemini uos mortuum suscitasse, et innocuorum
pectora irretistis. Antonius presbiter respondit. Optaueram quidem ut ducem huius agonis nostri
iulianum tibi prouocares. et ab eo acciperes responsum, sed quia unus est dominus ihesus xpistus qui
tangit organa cordis nostri. percunctatus es que uoluisti, audi nunc a me que inquiris.
Magister et auctor magice quem a nobis dicis exerceri. hoc dedit nobis preceptum.
ne margaritas preciosas mittamus ante porcos, qui non uenit mittere pacem sed gladi-
um. Venit autem sepa[illegible]rare filios a parentibus, et alio loco, qui plus [illegible]
amauit patrem, aut matrem. qui re[illegible] aut uxorem aut filios aut diuicias quam me. non
potest meus esse discipulus. [illegible]tinen Hanc uocem audiens filius tuus. non fecit te plus carna-
lem genitorem. quam xpistum [illegible] creatorem. Similiter et quam dicis tuam uxorem. hac
uoce compta. contempsit te mortalem et temporalem, ut per xpistum inmortalem eternam
requiem consequatur. Ecce nichil ueri cognoscere poteris. Hec audiens preses iussit
eos recludi, et conuocans ad se sacerdotes. dixit ad eos. Ornate uenerandum locum
iouis. cuius est consuetudo semel in anno patefieri, uel ueneranda numina deorum